



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**De Jure Rerum Ecclesiasticarum Ad Germaniae Catholicae  
Principia Et Usum Pars ...**

Complectens Sectionem I. & II.

**Zech, Franz Xaver**

**Ingolstadii, 1758**

Titulus VII. De Sacramento Extremæ Unctionis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68048)

TITULUS VII.  
DE SACRAMENTO EXTREMA  
UNCTIONIS.

*Conf. Decretal. lib. I. tit. 15.*

§. 270.

*Extrema  
Unctionis*

QUAMVIS hac Sectione de iis so-  
lum agere proposuerimus, quae  
in Ecclesiis fieri solent; brevis tamen  
tractatio de Extrema Unctione, quae  
in aedibus infirmorum plerumque  
confertur, a reliquis Sacramentis  
separanda non est, cum ejus admi-  
nistrandae cura Presbytero propriae  
Parochiae incumbat.

*Definitio:*

§. 271. *Extrema Unctionis* nomine  
intelligitur Sacramentum novae legis,  
homini aegrotanti, dum inungitur ex-  
terius, ad morbi incommoda perte-  
renda speciale auxilium conferens,  
peccata & peccatorum abstergens re-  
liquias, ipsamque corporis, ubi ani-  
mae salutis expediens fuerit, sanita-  
tem restituens. Eruitur hac descriptio  
93.) : *infirmatur quis in vobis? inducat  
Pres-*

93.) Cap. V. v. 14. 15.



De Sacram. extrem. Unct. 353

Presbyteros Ecclesie, & orent super eum: ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio Fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei 94.). In quibus verbis habentur omnia ad Sacramentum novæ Legis requisita; *Materia* sensibilis, scilicet unctio Olei; *Forma*, scilicet Presbyterorum Oratio; *Institutio* Dominica, cum Apostolus ad universas Ecclesias scribens, promulgat quod a Christo Domino acceperat; denique *Effectus*, scilicet delictorum remissio, ægroti animi alleviatio ad resistendum demonis tentationibus, & corporis sanitas, si æternæ salutis expediat.

§. 272. *Materia* remota est *Oleum* *Materia*:  
olivarum 95.) ab Episcopo vel ab  
Z alio

94.) His Apostoli verbis censetur Sacramentum Extremæ Unctionis vere promulgatum ac commendatum. Nam per id quod apud S. MARCUM VI. 13. legitur, ubi Apostoli *ungebant oleo multos agros & sanabant*, videtur Sacramentum hoc tantum insinuari tanquam per figuram, typum & symbolum. Vid. PALLAVIC. Hist. Conc. TRID. lib. XII. c. 12.

95.) Oleum saltem ex Ecclesiæ præcepto de-



alio Sacerdote ex indulto Apostolicae Sedis consecratum 96.). Hanc Olei benedictionem ex ipsa Divina institutione procedere, & ideo non solum ex præcepto Ecclesiae, sed etiam necessitate Sacramenti adhibendam esse, docent gravissimi Autores, non tamen videntur efficaciter probare 97.). Usus hujus materiae remota,

debet esse simplex. Ex voce *Chrismatis* quam antiquiora quaedam Concilia & *INNOCENTIUS I.* Epist. ad Decentium c. 8. adhibent, non potest concludi, quod oleum mixtum oleo fuerit balsamum, quia per *Chrisma* intelligunt omnem unctionem; quamvis talis mixtio, si esset modica, non obesset substantiae Sacramenti.

96.) Hoc oleum infirmorum singulis annis Feria V. in Coena Domini ab Episcopo benedicatur, & a Parochis veteri combusto renovatur. Id si forte intra annum non sufficiat, neque aliud benedictum haberi possit, modico oleo non benedicto, & minore quantitate superinfuso, reparari potest. In Ecclesia Graeca Oleum benedicatur a Sacerdotibus, cum se accingunt ad infirmum inungendum. *ALLATIUS de Consens. Eccles. Orient. & Occid. lib. 3. c. 16. n. 6.*

97.) Vid. *BENEDICTUS XIV. de Synodo Dioec. lib. VII. c. 16. LE DRUIN, de Re Sacrament. lib. 7. q. 2. c. 1.*



scilicet *Unctio*, in formam crucis facta, est Materia proxima. Circa corporis partes inungendas diversa disciplina in variis Ecclesiis obtinuit: unusquisque adhæreat suæ Ecclesiæ Rituali 98.). Præcipiuntur Unctiones eorum membrorum, quæ solent peccato præ cæteris deservire, potissimum quinque sensuum, nempe oculorum, narium, oris, aurium, manuum, denique & pedum. Urgente mortis periculo inungitur unicus sensus, vel Caput, e quo omnium sensuum nervi descendunt, pronuntiando formam universalem 99.).

§. 273. *Forma* extremæ Unctionis *Forma*: est Oratio, quam Sacerdos fundit, ægrotum inungendo. Eam Christus non determinavit in infima specie:  
Z 2, unde

---

98.) Variarum Ecclesiarum ritus refert BENEDICTUS XIV. loc. cit. c. 18. MORINUS in Append. ad tract. de Pœnit. fol. m. 579. TOURNELY Theol. tom. 4. de Sacram. Extr. Unct. q. 2. art. 1.

99.) Vid. CONINCK de Sacram. disp. 19. dub. 3. ubi fufius disputat, an plures unctioes sint necessariae non solum necessitate præcepti, sed etiam de essentia Sacramenti.



unde in Ecclesia Latina & Græca di-  
versæ sunt Orationum formulae,  
eundem tamen sensum referentes.  
Romanæ Ecclesiæ forma est deprecati-  
va, nempe: *Per istam Sanctam Unctio-  
nem, & suam piissimam misericordiam  
indulgeat tibi Dominus, quidquid per tu-  
sum &c. deliquisti, in nomine Pa-  
tris &c.*

*Minister:* §. 274. *Minister* hujus Sacramenti  
est solus Sacerdos 100.), etiam uni-  
cus 1.), & quidem Parochus, ut li-  
cite administretur 2.); vel alius Pre-  
byter

100.) Vid. SUAREZ. in 3. part. tom. 4. disp.  
43. sect. 1.

1.) C. 14. de Verb. signif. & ibid. GONZA-  
LEZ. in Ecclesia Græca adhibentur se-  
ptem vel saltem tres. LEO ALLATIUS  
loc. cit.

2.) Varii Religiosi & cum ipsis communi-  
cantes habent privilegium administrandi  
hoc Sacramentum suis famulis, operariis  
& domesticis, saltem intra septa Mon-  
asterii habitantibus. Vid. SUAREZ tom.  
4. de Relig. tract. 10. l. 9. c. 4. n. 10. RE-  
NATUS CHOPPINUS *Monasticon* lib. 2.  
n. 38. & 41. MIRANDA *Manual. Prae-*  
*lat.* tom. 1. q. 42. art. 2. & q. 49. art. 1.  
ASCAN. TAMBURIN. de Jure Abbat. tom.  
2. disp. 5. q. 3. disp. 6. q. 16. disp. 7. q. 3.  
PELLIZZARIUS *Manual. Regular.* tom. 2.



byter ab illo specialiter delegatus :  
in casu tamen necessitatis alius Sa-  
cerdos præsumit consensum Paro-  
chi absentis 3. ). Peccat hic contra  
officium Pastoris, si hoc Sacramen-  
tum deneget, vel plus justo diffe-  
rat cum gravi periculo infirmi, dum  
minus aptus erit ad se pro suscipien-  
do tanto Sacramento præparandum.  
Hæc obligatio etiam urget tempo-

Z 3 re

---

p. I. tr. 8. c. 3. sect. 3. & 4. LEZANA sum.  
Quæst. Regul. tom. 2. c. 16. EMAN. RO-  
DERIC. QQ. Regular. tom. 2. q. 67. art. 1.  
Idem potest fieri etiam circa extraneos  
& hospites, quando in Domibus Religio-  
forum ægrotant, & ad periculum mortis  
deducuntur. Quamvis enim tales per-  
sonæ Parocho suo subjectæ sint: iste ta-  
men parochialia exercere non potest in-  
tra septa Monasterii, sicuti non potest Sa-  
cramenta administrare subdito suo intra  
fines alienæ parochiæ ægrotanti.

3.) In Clem. 1. de Privileg. statuitur ex-  
communicatio reservata in Religiosos,  
qui Clericis aut Laicis Sacramentum Un-  
ctionis extremæ administrare, *non habi-  
ta Parochialis Presbyteri licentia speciali,*  
præsumperint. Non tamen audiendus  
est NAVARRUS Manual. c. 27. n. 102. ubi  
docet, incurri hanc excommunicationem  
*ob administrationem factam in articulo mor-  
tis, etiamsi faciat ob defectum Parochi.*



re pestis, saltem si infirmus alia Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ non suscepisset 4.). Summopere etiam curandum, ne infirmi pauperes absterreantur a recipiendo hoc Sacramento ob stipendium Parochi solvendum 5.).

*Subjectum*: §. 275. Græci administrant Unionem cuilibet Fideli pœnitenti, sive sano, sive infirmo 6.): Latini solis decumbentibus, quod magis consonat verbis S. JACOBI. Sicut autem in gravi infirmitate, quæ iuxta peritos ultimum exitum minatur, non est differendum usque ad  
ulti-

4.) Vid. SUAREZ in 3. part. tom. 4. disp. 44. sect. 3.

5.) REINERUS contra Waldenses c. 5. dicit, hos Hæreticos Sacramentum Unionis reprobasse, *quia tantum divitibus datur, & propter plures Sacerdotes ibi necessarios.*

6.) Quidam excusant Græcos ex eo, quod non intendant sanis conferre verum Sacramentum, sed tantum ceremoniam aliquam sacram, seu Sacramentalem quendam benedictionem, quod etiam in Ecclesia Latina olim sæpius factum, prout exemplis confirmat BENED. XIV. de Syn. Diœc. l. 7. c. 19. n. 2. item c. 20. THIERS de superstit. part. 2. lib. 8. c. 6.



ultimum agonem ; ita neque confere-  
rendum est cuilibet infirmo, de cu-  
jus vitæ periculo, peritorum iudicio  
non timetur; neque illis, quibus  
mors imminet absque corporis infir-  
mitate, scilicet navigantibus, belli-  
gerantibus, ultimo supplicio affici-  
endis, mulieribus partui propinquis:  
bene tamen iis senibus, qui præ de-  
crepita ætate deficiunt, & in dies  
videntur morituri 7.) : item pericli-  
tantibus ob pestem, ob vulnus mor-  
tale, ob morsum rabidum, dummo-  
do absit periculum irreverentiæ ad-  
versus Sacramentum. Item non ad-  
ministratur Extrema Unctio pueris  
ante usum rationis 8.) ; neque fa-

Z 4                   tuis

---

7.) Sicut in his senibus ipsa gravis fene-  
ctus infirmitas est, mox ducens ad inte-  
ritum, licet nulla alia specialis ægritudo  
exterius appareat : ita etiam illi, qui Di-  
vina revelatione de propinqua morte ad-  
moniti, sano alioquin corpore sacram Un-  
ctionem petierunt, ut de S. HEDWIGE  
in Vita apud SURIUM 15. Octobris legi-  
tur, jam interius lethali morbo laborante  
censentur. Dein aliqua in Sanctis non sunt  
imitanda, sed admiranda, ut monet Au-  
tor ejusdem Vitæ.

8.) Non tamen expectanda ætas octode-  
cim



tuis a nativitate, qui nulla haberunt lucida intervalla; neque illis, qui in ipsa flagitii actione sensibus destituuntur: si tamen poenitentiam spatium habuerint, antequam rationis usum amitterent, sacra Unctio non est deneganda, quamvis absolutio non sit impertienda, si nullum poenitentiae signum dederint.

*Necessitas*; §. 276. Susceptio istius Sacramenti multis videtur esse sub præcepto 9.) Nam non apparet, qua ratione graviter contra charitatem & justitiam peccet Parochus, omittens administrationem ejus, si tantum ex consilio, secus ex præcepto, suscipi a Fidelibus deberet. Concilium TRIDENTINUM 10.) dicit, hanc Unctionem *Mandatum DEI* habere. Iterari potest, si infirmi post susceptam Un-

---

cim annorum, prout exigit FRIDER. NAUSEA in suo Catechismo lib. 3. c. 107. nec tempus, quo pueri admittuntur ad Sacramentum Eucharistiam: sed sufficit ætas peccati ac Confessionis capax.

9.) Vid. SUAREZ disp. 44. sect. 1. ubi non agnoscit præceptum. Aliter sentit JOAN. PONTAS in Diction. casuum Consecr. verb. *Extrema Unctio*. Caf. 1.

10.) Sess. 14. de Sacram. extr. Unct. cap. 3.



*De Sacram. extrem. Unct.* 361

Unctionem convaluerint, & in aliud simile vitæ discrimen inciderint: qua in re opus est prudenti Parochi vel Superioris consilio. Magis tamen in dubio propendendum est ad Sacramenti iterationem, utpote conformiorem veteri consuetudini Ecclesiæ II.). Olim in multis Ecclesiis disciplina obtinuit ante Viaticum inungendi ægrotos, cum hæc Unctio sit complementum Pœnitentiæ 12.). Ubi mos iste receptus non est, servari debet disciplina passim in Ritua-

Z 5 libus

II.) Ad iterandum hoc Sacramentum sufficit, si status morbi mutatus fuerit, id est, si morbus ita remiserit, ut mortis discrimen evasisse videatur infirmus; at post Unctionem susceptam, rursus ex eodem morbo in vitæ discrimen relabatur. Vid. VAN ESPEN Jur. Eccl. univ. part. 2. tit. 8. c. 3. n. 35. seqq. LAUNOIS de Sacram. Unct. infirm. in nova edit. operum tom. 1. part. 1. fol. 549. seqq.

12.) Mos iste recens introductus est in Diocesi Parisiensi. Unde P. MARTINEAU S. J. anno 1712. in Vita Ludovici Ducis Burgundiæ, & postea Delphini pag. 273. de hoc Principe ægrotante sic scribit: *Il vouloit d'abord recevoir l'Extreme-Onction selon l'usage établi depuis quelques années dans le Diocèse de Paris, & ensuite le saint Viatique.*



libus præscripta, quæ approbat  
 ministracionem hujus Unctionis p  
 omnia reliqua Sacramenta 13.)

*Dispositio:* §. 277. *Dispositiones Remota*  
 hoc Sacramentum sunt, ut ungent  
 sit baptizatus; periculose decur  
 bat; adultus rationis usu prædit  
 nulla excommunicatione innodat  
*Proxime* sunt, ut cum hoc Sacra  
 mentum sit pœnitentiæ quædam con  
 summatio & complementum, habet  
 infirmus cor contritum & humili  
 tum, præmisso, quantum possibi  
 est, Pœnitentiæ Sacramento, præ  
 cipue si quis peccati gravis sibi con  
 sciens sit: ut cum magna Fiducia  
 Fide illud suscipiat: ut suam inten  
 tionem & preces cum intentione  
 precibus, quibus utitur Ecclesia  
 conjungat; & in Sacerdote Chri  
 stum Dominum instar Samaritanæ  
 Evangelici non tantum corpus con  
 secrato Oleo, sed ipsam animam  
 vinæ Unctionis plenitudine uberius  
 perfundentem venerabundus  
 spiciat.

§. 278

13.) Vid. SUAREZ disp. 44. sect. I. n.  
 LAUNOIUS loc. cit. a fol. 594. VANESPE  
 loc. cit. c. 2. a. n. 22.



§. 278. Tres effectus istius Sacra-<sup>Effectus.</sup>  
menti numerat Synodus TRIDEN-  
TINA 14. ): I. Gratiam Sanctifican-  
tem conferre, cum annexis auxiliis  
adversus ultimos dæmonis impetus.  
II. Peccati reliquias abstergere, qua-  
tenus infirmitatem & defectus ex  
peccato originali & actuali contra-  
ctos, scilicet propensionem ad ma-  
lum, torporem ad bonum & grave-  
dinem, quæ animam deprimit, ex-  
pellit. III. Infirmum alleviare, eri-  
gere, & sanitatem, si expediat, re-  
stituere. Effectus istos producit  
gratia, quæ secum non compatitur  
peccatum; ideo ex consequenti, si  
invenit peccatum, tollit ipsum quoad  
culpam, dummodo non ponatur  
obex ex parte recipientis 15.). Pa-  
rochi igitur studeant explicare po-  
pulo Sacramenti hujus dignitatem,  
necessitatem & saluberrimos effe-  
ctus, ut depositis præjudiciis 16.),  
Fide-

---

14.) Sess. 14. de Sacram. Extr. Unct. cap.  
2. & Can. 2.

15.) S. THOMAS in Supplem. q. 30. art.  
1.

16.) Talia præjudicia apud quosdam im-  
peri-



Fideles ipsi petant muniri & roborari istius Divinæ Unctionis efficacissimo remedio, dum adhuc plenitudinis & sensuum usu fruuntur.

*De Sacramento Ordinis* §. 279. Quæ ad Sacramentum Ordinis pertinent, tractata sunt in cuncta parte harum Institutionum quæ de *Hierarchia Ecclesiastica* inscribitur. Unde ad tractatum de *Sacramento Matrimonii* transimus, de quo cum quotidiana moveantur dubia lites, per plures Titulos agendum est. Sit igitur

TIT.

peritos sunt, quod post receptam extremam Unctionem non amplius liceat conjugatis, si convalescerent, ad conjugale opus reverti; nudis pedibus incedere; carnes comedere: quod adimatur spes convalescendi, vel facultas condendi testamentum &c. hos & similes errores Parochi dedoceant populum, monent variorum Synodi, nominatim WIGORIENSIS anno 1240. cap. 19. EXORIENSIS anno 1287. cap. 6. MECHLINIENSIS anno 1607. tit. 8. c. 2. BURDIGALENSIS. ann. 1583. tit. 13.